



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. Quisnam possit Indulgentias concedere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

modum absolutionis, sed per modum suffragii, supplicando Deum, ut satisfactiones pro illis exhibitas misericorditer acceptare dignetur.

Confirmatur hoc ex usu Ecclesiae, quae etiam post applicatam alicui indulgentiam plenariam per sacrificium in altari privilegiato oblatum, alia, & alia offert Sacrificia, ut constat ex Anniversariis; ergo signum est, quod quamvis ex divina misericordia speretur, tales oblationes, & indulgentias habituras esse effectum suum, non tamen hoc pro certo, & infallibili habeatur. Hinc probabilis redditur doctrina Henr., & Rodriq. apud Laym., quod Deus longe facilius acceptet oblationes, & suffragia oblata pro iis defunctis, qui in hac vita magis pro suis peccatis satisfacere, & Indulgentias lucrari, & pro defunctis orare studuerunt.

Neque dicas, hinc sequi, neque esse certum, quod Indulgentiae applicari, & prodesse possint defunctis ex concessione Pontificis. Nam oppositum constat ex praxi Ecclesiae; idque tradit Leo X. in Epistola ad Lutherum apud Cajet. pag. 39. 48. art. 5., Si enim quis privatus applicare potest satisfactiones suas pro defunctis, quidni etiam Pontifex applicare pro iisdem poterit satisfactiones Christi, & SS. ? Et sane omnes Catholici communiter censent, Communionem Sanctorum, quam in Symbolo profiterentur, in eo consistere, quod unius satisfactio pro altero oblata ei prodest; etenim cum simus membra unius corporis, actiones unius censentur quodammodo alterius: Quare sicut possum pro alio restituere quod alienum; sic etiam possum pro aliis satisfacere, tam apud homines, quam apud Deum; etiam requiratur, ut offensus benigne velit in satisfactionem acceptare oblationes non ab ipso delinquente, sed ab aliis pro ipso oblatae: Quod si

possum pro defunctis offerre satisfactiones proprias, potero pariter pro iisdem ex Pontificis concessione offerre satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum, quas per indulgentias mihi applicarem; & sic per indulgentias satisfacere pro defunctis; unde certum, ac de fide est, Indulgentias pro defunctis applicari posse, ac illis prodesse; quamvis, ut illis profint, requiratur benigna Dei acceptatio: Et quia ad hanc Deus non se obligavit, idcirco non semper Indulgentiae pro defunctis applicatae profunt illis infallibiliter.

ARTICULUS III.

Quinam possit Indulgentias concedere?

- I. Datur discrimen inter Indulgentias, quas Pontifex largitur vivis, & eas, quas concedit pro defunctis.
- II. Potestas clavium latius patet, quam potestas jurisdictionis.
- III. Nequeunt Episcopi citra Pontificis concessionem Indulgentias largiri.
- IV. Possunt vivis, utpote subditis, potestate ordinaria nonnullas Indulgentias concedere, non tamen applicabiles pro defunctis.
- V. Nequeunt Abbates, aut Parochi Indulgentias ullatenus concedere, nisi ex speciali concessione.

I. **Q**uæritur primo; Utrum Pontifex possit tam pro vivis, quam pro defunctis Indulgentias concedere?

Respondeo, ex dictis facultatem hanc concessam esse a Christo Domino immediate Summo Pontifici, cui dixit, *Tibi dabo claves Regni Cælorum, &c.*, unde non solum potest per Sacramentorum collationem tollere culpas, sed etiam per Indulgentiarum collationem tollere pœnas, & sic aperire cuilibet

Re-

Regnum Cœlorum. Ita Doctores communiter.

Illud autem, ut diximus, est discrimen inter Indulgentias, quas concedere potest vivis, & eas, quas potest concedere defunctis, ex Bellarm. lib. 1. cap. 1., & Con. contra Suar. disp. 49. sect. 4., quod respectu vivorum concessio Indulgentiarum sit actus jurisdictionis, continens absolutionem a pœnis; respectu vero mortuorum non habeatur absolutio, sed mera solutio pro pœnis ab iisdem debitis. Ratio est, quia Pontifex solum erga vivos jurisdictionem habet, & sic potest illos juridice absolvere; erga mortuos vero jurisdictionem non habet; unde tantum potest illis dispensare merita Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, & sic applicare de illis solutionem pro pœnis debitis a defunctis, & illos a Purgatorio liberare; Et hoc est conferre, seu applicare Indulgentias defunctis per modum Suffragii.

Neque dicas primo, etiam per indulgentias concessas pro vivis solvi sufficiens pretium de thesauro Ecclesiæ, ut constat ex Extravag. *Unigenius De pœnitentiis, & remissionibus*; ergo in hoc non differunt indulgentiæ pro vivis, & pro defunctis.

Nam quamvis non differant in hoc, quod tam indulgentia pro vivis, quam pro defunctis solvat sufficiens pretium de thesauro Ecclesiæ, differunt tamen in eo, quod indulgentia pro vivis sit absolutio juridica facta a legitimo Judice, infallibiliter obtinens effectum suum, positis requisitis. Contra vero indulgentia pro defunctis est mera exhibitio sufficientis pretii, quam acceptare est omnino in arbitrio creditoris; Etenim creditor in pœnis personalibus non semper tenetur pro unius offensa alterius satisfactionem accipere.

II. Neque dicas secundo, concef-

sionem indulgentiarum; sive pro vivis, sive pro defunctis, esse actum potestatis clavium; ergo utraque est actus jurisdictionis; ergo utraque fert absolutionem juridicam.

Nam concessio antecedente, negatur utraque consequentia; Potestas enim clavium est potestas aperiendi, & claudendi cœlum; cum igitur cœlum aperiiri possit, tam per actus jurisdictionis, videlicet per juridicam absolutionem, quam per alios actus, videlicet exhibendo Deo de thesauro Ecclesiæ sufficiens pretium ad liberandos a pœnis debitis defunctos; sequitur, quod concessio indulgentiarum pro defunctis sit quidem ex potestate clavium, sed non actus jurisdictionis: Unde latius patet potestas clavium, quam jurisdictionis; cum illa etiam ad defunctos extendatur, non vero ista.

III. Quæritur secundo; An etiam Episcopus possit Indulgentias concedere?

Respondeo cum Suar. disp. 49. sect. 1. ex D. Th., Sylvest., & aliis communiter, posse Episcopos Indulgentias concedere non jure divino, sed solum ex concessione Summi Pontificis. Ratio est, quia in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. potestas concedendi Indulgentias est ita restricta Episcopis, ut non nisi unius anni Indulgentiam in die dedicationis Ecclesiæ, & ob aliam justam causam 40. tantum dierum indulgentias concedere possint; quod si hujusmodi potestas esset de jure divino, profecto non posset adeo restringi a concilio.

IV. Ubi advertit primo, potestatem hanc Episcoporum concedendi indulgentias, quamvis sit ex concessione Pontificis, esse tamen ordinariam; cum illis competat ratione proprii officii. Secundo si ultra limites suæ potestatis indulgentias concedant, esse nullas quoad excessum, ex Cap. *Nostro* de

de pœnit., & remis. Tertio nullam omnino indulgentiam concedi posse ab Episcopis respectu mortuorum; ut communiter docent cum Suar. disp. 55. sect. 2. Ratio est, quia solum conceditur Episcopis, ut possint indulgentias suis subditis elargiri, ex cap. *Quod autem de pœnit., & remis.*; Mortui autem non sunt subditi Episcopo. Ex quo patet, thesaurum Ecclesiæ applicandum per modum suffragii pro defunctis soli Pontifici esse commissum.

V. Demum certum est, neque Abbates, neque Parochos, neque alios, qui Episcopi non sunt, habere a Jure potestatem concedendi indulgentias; Quare solum ex concessione speciali possunt illas concedere, ut notat Bellarm. ex cap. *Accedentibus de excessibus Prælatorum*

ARTICULUS IV.

Quanam causa requiratur ad legitimam Indulgentiarum concessionem?

- I. *Nequit sine justa causa Pontifex Indulgentias elargiri.*
- II. *Quanam repuerit causa justa, & sufficiens ad eas elargiendas?*
- III. *Causa hujus justa non est a subditis pensanda, sed a concedente indulgentias.*
- IV. *Opus injunctum quam proportionem habere debeat cum fine intento?*
- V. *Concedi potest Indulgentia, quin ullum opus præscribatur ad eam lucranda.*
- VI. *Qui repide opus injunctum peragunt, non plenarie indulgentiam lucrantur.*

I. **D**ocent communiter Doctores, Indulgentiam absque legitima causa concessam esse nullam. Et ratio est, quia per Indulgentiarum concessionem dispensatur Ecclesiæ thesaurus; cujus Pontifex non est Dominus,

sed merus dispensator; Qui autem est dispensator rerum sui Domini, si absque rationabili causa illas dispenfet, nulliter dispensat; Præterea dispensator non potest sine justa causa remittere credita sui Domini; sed Pontifex largiendo indulgentias remittit credita Domini; quia pœnarum in Purgatorio luendarum, quæ per Indulgentias remittuntur, peccator est debitor, & Deus creditor; ergo non possent sine justa causa valide concedi Indulgentiæ.

II. Quæritur tamen primo; Quanam sit justa, & rationabilis causa ad Indulgentias concedendas?

Respondeo cum Bonac., Navar., Ricc., aliisque communiter apud Bellarm. lib. 1. cap. 12. illam reputari justam, ac rationabilem causam, quæ pia, & Deo grata sit, & proportionem aliquam habeat cum Indulgentia, quæ conceditur. Quare duo requiruntur; Primum, ut Indulgentia concedatur ad pium aliquem finem, cujus consecutio æstimetur Deo magis gloriosa, quam pœnitentia, quæ per Indulgentiam relaxatur; Verbi gratia, ad deprimendos hostes Ecclesiæ, ad gratias Deo agendas pro victoriae Paganis reportata, ad cultum Dei Sanctorumque promovendum. Secundum est, ut opus injunctum ad indulgentiam lucranda proportionem habeat cum fine intento, seu utile, & aptum sit ad finem consequendum; Verbi gratia, preces ad Deum fusæ, confessio, communio, jejunia, eleemosynæ dicuntur opera apta ad assequendam depressionem hostium fidei, &c.

III. Docet autem Bellarm. loc. citat. non a subditis, sed a concedente Indulgentiam examinanda esse causam illius, ac proportionem operis cum fine intento; atque adeo quamcumque ob causam, etiamsi levissima videatur, concedat Pontifex

In-